


LVNÆ DIE 17 M. IVNII A. 2002



A.d. XV Kal. Iulias a. MMII

108

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AUSPICIIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / Telecop. 02.735.51.32. / guy.licoppe@pophost.eunet.be

Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

QUALIS EUROPA ?

Vix ullus homo tanto animo est ut solus vivere possit ; statim instet hæc terribilis difficilisque interrogatio : « Quis ego sum ? ». Is autem, qui ad quandam tribum pertinet, securo identitatis sensu fruitur.
(Martinus Page, Anglus anthropologus et sociologus)

Recens Francogalliæ præsidis electio inter alia monstravit quantam animi perturbationem in cives induxisset incertum responsum huic interrogationi dandum : « Quis sum ? Sumne adhuc Francogallus annon ? ». Tempore enim quo Unio Europæa, iam ex quindecim civitatibus constans, decem alias civitates sibi adiungere parat, statuendum est de modo regendi tantam diversarum nationum copiam. Tantum inter se discrepant earum regentes, ut in multis conventibus usque nunc habitis malint de hac re tacere et cunctari. ¶ Necessitate nunc premente, « Conventio futuræ Europæ elaborandæ » instituta est, cuius designati sodales Bruxellis primum convenerunt die 28 m. Februarii a. 2002. Eis mandatum est ut intra unum annum proposita cohærentia atque omnibus civitatibus acceptabilia elaborarent. Quod opus re vera arduum videtur fore, si de diversis præmissionibus recogitamus. ¶ Imprimis ad quem scopum tendendum sit adhuc nescitur. Nam in Europa confœderanda duæ inclinationes homines diverse trahunt, quas semper exstitisse historia nos docet. ¶ Altera inclinatio eorum est qui nationales civitates integras servare volunt, quin etiam hodiernas civitates in minores dividere conantur. Hoc est votum plurimorum politicorum, qui singularitates regionales colendo suum munus tuentur. Hi politici potens regimen fœderale timent et respuunt. Dicamus eos esse « minimalistas ». ¶ Altera inclinatio eorum est, rariorum quidem, qui de Europa arte fœderanda cogitant, ut locum suæ historiæ non impari obtineat inter paucas Res Publicas in orbe terrarum præpotentes. « Maximalistæ » vocentur licet. ¶ In his politicis tractationibus maximum momentum faciunt magnarii, quibus imprimis cordi est sua negotia in quam amplissima area Europæa gerere, omni genere impedimenti sublato. Et re vera, præsertim in re œconomica, progressus cœnitionis conspiciuntur, quorum novissimus est moneta communis. ¶ Sed præter bona, quæ prosperitas œconomica incolis Unionis Europææ attulit, magnæ curæ eos sollicitant, i.e. præcipue securitas civium, tromocratia, immigratio intemperata atque Europæa impotentia in bellis extraneis exstinguendis. ¶ Ad causas harum sollicitudinum tollendas maximalistæ autumant Unionis regimen funditus mutandum esse. Minimalistis vero proposita etiam multo timidiora difficile acceptabilia videntur esse, velut abolitio cunctorum suffragiorum necessitatis in nonnullis materiis et quota vox in Administratorum Consilio singulis civitatibus attribuenda sit. ¶ Mauricius Allais, Francogallus præmio Nobeliano œconomix honestatus,

impugnabat¹ centralizatoriam voluntatem atque dirigisimum technocraticum Commissionis quæ Bruxellis sedem habet. Dissuadebat etiam ne leges Europææ maioritatis solum assensu acciperentur ; hoc democratiæ contrarium fore ; nam vera democratiæ fundamenta, aiebat, non sunt maioritatis dominatio, sed respectus personarum et minoritatum. Ad concludendum scribebat unionem œconomicam non sufficere ad unionem politicam pariendam. In hunc scopum communitas culturalis est imprimis fovenda, id quod omnino neglectum est. ¶ Christina Ockrent crevit in umbra Pauli Henrici Spaak, qui pro Belgica Tractatum Romæ paravit atque a. 1957 subsignavit. Adolescens somnio Europæo iam imbuta cum parentibus in Francogalliam migravit, ubi studia perfecit. Locutrix televisionis Francogallicæ facta, multa etiam scripsit, inter quæ liber c.t. *Europa filio meo narrata, a Iulio Cæsare usque ad euronum*². Ibi filio dicit hoc in suis votis esse, ut Europa corpus validum fiat cuius auctoritas XXI sæculo manifestetur. Censet Europæa fundamenta iacta esse intra illa quinque sæcula, quibus a Romanis administrata est et cultu Romano imbuta. ¶ Cum Christina Ockrent proxima sit hodiernis regentibus politicis, non ignorat quantum in eorum mente adhuc vigeat angustus nationalismus atque timet ne ipsa Unio Europæa natio fieri non possit. Quare interrogat num « civitas-natio » optimus ultimusque modus sit societatis humanæ gubernandæ. Inde recogitat de Imperio Austriaco-Hungarico, ubi diversæ gentes magis pacifice et prospere vivebant quam post imperium dissolutum. ¶ Frustra tamen in hoc libro quæritur cohærens propositum, quo Europa corpus validum fieri possit. Ad concludendum enim tantum dicit Europam nuntium perferre, qui constat e democratia, humanismo et hominis iuribus. Hæc tamen potius sunt contrita verba quam consilia ponderosa. ¶ Géza Alföldy, origine Hungarus, qui historiæ antiquæ professor est in studiorum universitate Heidelbergensi, de Europa cœnitione in recenti libro³ etiam disseruit. Cum cœnitione Europæa manifesto nondum sit finita, cogitat de consiliis capiendis ad hunc scopum adipiscendum. Non putat solam unionem pecuniariam atque œconomicam, quæ propter vim liberi mercatus bene operatur, veram coniunctionem politicam et culturalem gignere posse. Adhuc nondum exstat programma, quo forma huius coniunctionis adumbretur ; nihil etiam patet de temporis spatio intra quod cœnitione efficiatur. ¶ Inde fit ut propositum Europæa politice constituendæ hodiernis temporibus minus attractivum Europæis esse videatur.

Non enim plane sentiunt counitum Europæ statum sibi magis profuturum esse quam diversas civitates, quæ adhuc vigent. Nondum ortus est necessarius sensus patriotismi Europæi, cui obstant propriæ intentiones civitatum ducum. ¶ Imprimis, ait Géza Alföldy, curandum esset de identitate Europæa creanda ; sine civitatis iure Europæo, i.e. sine superposita civilitate Europæa, counitio manebit mera fictio. Censet ille identitatis Europææ fundamenta iacienda esse in cœmunitatem memoriæ, experimentorum atque visionis futuri. Dubitat num Europa counita sine auctoritate supranationali, cui etiam tribuenda sit facultas decernendi, diu cohærere possit. Historici sine dubio ad Europam instruendam aliquid conferre possunt ; quæstio tamen non est, inquit, utrum ex historicis exemplis Europæi aliquid addiscere possint necne, sed re vera est hæc, num velint ex historia aliquid addiscere ! ¶ Si de Imperio Romano recogitamus, patet plerosque populos, e quibus id constabat, non sua sponte, sed legionum vi, ei aggregatos esse. Decursu tamen temporis hoc imperium non habitum est ut carcer populorum. Hoc potius mirandum est, quod tam celeriter firmiterque plerique populi, qui aliquando vehementer pugnaverant pro libertate sua, rei publicæ Romanæ participes facti sunt. Est consensus post factum. ¶ Romanis magna facultas erat priores inimicos suo systemati socio-politico accommodandi. Civilitas Romana eis gradatim dabatur. Superius stratum sociale aggregatorum populorum accipi cupiebat in ordines equitum senatorumque, qui totum imperium administrabant. Quare linguam et cultum Romanorum sibi celeriter assumebant. Cohærentia enim imperii Romani fundamenta habebat in cultu civili Græco-Romano. Culmen patriæ erat imperator, « pater patriæ », qui non solum symbolum unitatis imperii erat, sed etiam tutor salutis omnium. ¶ Valde inter se differunt condiciones imperii Romani et Europæ hodiernæ ; consensus enim populorum adipiscendus non est post aggregationem factam, sed ante. Præterea non exstat populus Europæus, quo impeditur ne principium democraticum applicari possit toti Europæ, ut iam monebat Mauricius Allais. Denique nihil efficitur ut Europæorum historia culturaque communis extollatur atque tradatur, id quod est primum consilium. Contra hodie prævalet sententia eorum, in dies numerosiores, qui cultu classico nostro iam non sunt eruditi : isti proclamant nullam unitatem culturalem in Europa esse respiciendam ; multipliciter culturalem esse agnoscendam et augendam. ¶ Mercurii die 22 m. Maii a. 2002 Romanus Prodi, Commissionis Europææ præses, contionem habuit in Parlamento Europæo, qua suasit ut

Commissio verum regimen executivum fieret, ne Unio Europæa paralysin pateretur ; nunc enim Commissioni tantum licet aliquid proponere, de quo solum Consilium Administrorum et Parlamentum una decernunt. Romani Prodi propositis obstant singulorum civitatum regentes, præsertim Londinii et Parisiis, qui totam potestatem suam Commissioni tradere nolunt. ¶ Quæ cum ita sint, frustra speramus Europam sua sponte factum iri corpus validum. Nolumus oblivisci Americæ Septentrionalis Civitates Fœderatas non sine vehementi bello civili corpus validum factas esse. ¶ Nemo certe futurum prævidere valet ; semper inexpectata superveniunt. Opinor tamen civitates Europæas antiquis civitatibus Græcis persimiles fore, quæ singularitatem suam tanti faciebant, ut numquam sua sponte coalescere valuerint. Pacem una cum impotentia tandem invenerunt sub ditione imprimis Macedonum et postea Romanorum. ❖

Gaius LICOPPE

-
1. *La Construction européenne dans le contexte d'aujourd'hui*, 1990.
 2. *L'Europe racontée à mon fils, de Jules César à l'euro*, Parisiis, Robert Laffont, 1999.
 3. *Das Imperium Romanum – ein Vorbild für das vereinte Europa ?*, Basel, Schwabe & Co AG., 1999. Huius libri optimam recensionem divulgavit Sigrídes Albert in *Vocis Latine fasciculus 145* (« De imperio Romano atque de Europa futura », pp. 393 sqq.).


DE PECVNIAE INVENTIONE

- scripsit Gaius Licoppe -

Pecunia æqualibus nostris est res tam usitata, tam vulgaris, ut vix imaginari possint eam non omni ævo exstitisse. Quis non admiratus est supellectilem, aurea ornamenta aliaque varia summo artificio confecta, qualia inventa sunt in hypogeo sepulcro pharaonis Toutankhamon? Cultus ergo Ægyptiacus medio secundo millennio a.C.n., quo vivebat hic pharao, nobis videtur iam ad quandam perfectionem pervenisse; nulla tamen pecunia tunc apud Ægyptios fuit in usu (in huius libelli fronte ostenditur pensura auri regularis apud Ægyptios circa annum 1.375 a.C.n.).

Ante pecuniam inventam, homines res inter se commutabant; pastores, exempli gratia, pecudes mutare poterant cum frumento agricolarum. Antiquis temporibus in Italia pecus in permutationibus multum videtur adhibitum esse; inde putatur nomen pecuniæ derivatum esse a pecude.

Iam ante multa millennia homines metalla nativa invenerunt, quæ sunt fragmenta cuiusdam metalli puri per terram sparsa. Inter ea maxime æstimabantur aurum et electrum, quod est naturalis mixtura auri et argenti. Argentum nativum etiam invenitur, sed rarius; etiam rarius cuprum. Ferrum purum in natura vix exstat, cum celeriter oxydetur; per occasionem tamen invenitur ferrum meteoriticum, i.e. de cælo delapsum, quod iam tertio millennio a.C.n. Sumeriis notum erat. Platinum, Antiquis ignotum, etiam est metallum nativum, quod Europæi in America solum duodevicesimo sæculo invenerunt.



Tria metalla nativa, electrum (supra), argentum (ad sinistram), aurum (ad dextram), qualia in terra possunt inveniri

Imprimis metalla nativa lapideis malleis tundebantur atque formabantur ad ornamenta conficienda; hoc facilius fiebat, cum metallum igne mollebat. Antiquissimum ornamentum metallicum adhuc inven-

tum est cuprea lamina, ovalis et foraminata, quæ collo videtur fuisse suspendenda. Archæologi eam anno 1960 in quadam spelunca Iraqiana invenerunt atque demonstrare valuerunt eam confectam esse circiter novem milibus annorum et quingentis (9.500) a.C.n.



Cuprea lamina decimo millennio a.C.n. confecta

Vera tamen metallurgia¹ serius incohatur, circiter quattuor milibus annorum a.C.n., cum homines in Proximo Oriente invenerunt cuprum e variis lapidibus combustionem extrahi posse. Ad hoc faciendum, cum ignis maxime excitandus esset, complures fabri per calamos in focum flabant, unde verbum « conflare », quod in sermone Romanorum synonymum est « fundendi ».

Hanc primam metallurgiæ ætatem historici vocant « ætatem cupream ». Tunc paulatim cuprum non solum adhibebatur ad ornamenta fingenda, sed etiam ad instrumenta fabricanda. Cuprum tamen est nimis ductile, quare in multis usibus instrumenta lapidea præferebantur.

Ineunte tertio millennio a.C.n. una conflantur imprimis cuprum et arsenicum, postea cuprum et stannum, unde nascitur æs. Hoc est initium historicæ ætatis, quæ dicitur « ætas ænea ». Magna mutatio tunc incohatur; nam æs multo durius est quam cuprum purum, atque optime convenit ad instrumenta fabricanda, quorum efficacia maior est quam instrumentorum lapideorum.

Tribus sæculis post, circa annum 2.700, fabri in Proximo Oriente valuerunt temperaturam in furno eo augere ut ferri mineralia² conflari possent. Ferrum ære durius est et multo melius convenit ad instrumenta fabricanda. Tamen « ætas ferrea », intuitu historicorum, solum incohatur circa annum millesimum a.C.n.; nam usus ferri tantum lente inductus et diffusus est propter difficultatem eius metallurgiæ.

Quæ cum ita essent, metallorum appetentia celeriter crevit, sed lapides unde conflari poterant non ubique erant in promptu, quin etiam sæpe solum in longinquis regionibus inveniebantur. Qua de causa

commercium, etiam maritimum, inter diversas regiones augebatur.

Raro fit ut archæologi vestigia inveniant metallorum commercii. Tamen quædam Phœnicia navis, circa annum 1.200 a.C.n. ad litus Asiæ Minoris demersa, in fundo maris reperta est. Anno 1960 fieri potuit ut totum navis onus levaretur et in terra diligenter examinaretur. Ibi inter alia inventæ sunt regulares massæ cupri, quæ fusæ erant in formam pellis vaccinæ.



Regulares cupri massæ inventæ in Phœnicia nave circa annum 1200 a.C.n. demersa

Huius modi metalla regularia iam commodiora erant ad permutationes faciendas atque diu manserunt in usu.

Septimo sæculo a.C.n. aliquid novi apparuit in Lydia. Sardis, Lydiæ caput, alluit celeberrimus rivus c.n. Pactolus ; in eius alveo tunc inveniebantur lapilli plani ex electro nativo. Hi lapilli, quibus Lydii signum impresserunt, præfigurabant nummos.

Nummus definiri potest ut pars signata et certi ponderis cuiusdam metalli. Cræsus, Lydiæ rex, sexto sæculo a.C.n. creavit primum nummum verum, i.e. signatum et certi ponderis sive auri, sive argenti ; vocabatur « stater », quod nomen Lydium Græci postea sibi assumpserunt (στατήρ). Hi nummi tunc præcipue adhibebantur ad stipendium militibus solvendum.



Argenteus nummus Lydiæ regis Cræsi

Græci eodem tempore in permutationibus adhuc adhibebant incommoda instrumenta, ut tripodes, æneas cortinas, secures et præsertim verua ferrea (ὄβελός), sed nonnullæ civitates Græcæ, inter quas Ægina videtur fuisse prima, Lydios sine mora imitata sunt atque nummos ex electro cudere cœperunt. Obolus (ὀβολός) est nomen huius nummi, ex isto « ὄβελός », quo significabatur veru ferreum.

Drachma (δραχμή), quo verbo antea significabatur « veruum pugnus », nomen factum est nummi sex obolorum. Ab eodem vocabulo, multis sæculis post, derivatum est verbum Arabicum « dirham », quod est nomen nummi in orbe Mahumetano maxime usitati.



Tetrachmum Atheniense (circa annum 450 a.C.n.)

Inter civitates Græcas, Sparta novitates semper difficile accepit ; ibi ad permutandum verua ferrea etiam quarto sæculo manebant in usu.

In Italia, exceptis coloniis Græcis, sexto sæculo a.C.n., « æs rude » in commercio adhibebatur, i.e. inæquales æris partes sine signo.

Etrusci nummos cudere cœperunt quinto sæculo, sed apud populos Italicos solum tertio sæculo apparuit « æs signatum », i.e. regulare æs certi ponderis cum signo in utroque latere ; eius pondus erat circiter sesquichilogrammati (1,5).



Aes signatum

Tempore quo æs signatum in usum inductum est, anno 289, Romæ designati sunt magistratus, quibus de moneta esset curandum ; vocabantur « tres viri moneales ». Viginti circiter annis post cusi sunt primi nummi in formam gravium discorum, ex ære. Nummus tunc vocari solebat « æs », quod factum est « as » ; eius pondus erat unius libræ Romanæ (327 gr.)

sive duodecim unciarum Romanarum. Hoc « æs grave » in utroque latere erat signatum. Minores nummi postea in usum inducti sunt, qui vocabantur « semis » (dimidia pars assis), « triens » (tertia pars assis), « quadrans » (quarta pars assis), « sextans » (sexta pars assis) et « uncia » (duodecima pars assis). Decursu temporum pondus assis minutum est. Post annum 155 a.C.n. eius pondus redactum est ad duodecimam partem, quare vocabatur « as uncialis ».



Aes grave

Intra primam dimidiam partem tertii sæculi Romani argenteos nummos cudere cœperunt, qui eiusdem ponderis erant ac nummi Græcarum civitatum Italiæ meridionalis. Exeunte eodem sæculo Romani novum systema monetarium creaverunt in « denario » argenteo nitens, cuius pondus fere idem erat ac pondus drachmæ Græcæ. « Denarius » vocatus est, quod tunc decem asses æquabat. In eodem systemate invenitur « quinquarius » (quinque asses) et « sestertius » (duo asses semis). « Sestertius » derivatus est a « semis tertio » i.e. ter dimidia pars. A nomine denarii post multa sæcula derivatum est vocabulum « dinar », quo nuncupatur nummus in orbe Arabum Mahumetanorum usitatus.



*Denarius
argenteus
(cum imagine
Augusti)*

Ad pecuniam numerandam, etiam si agebatur de magna summa, Romani vocabulum sestertii adhibere solebant, quod brevius scribebatur HS (= II + semis).

Nummi Romani cudebantur in templo Iunonis Monetæ, unde oritur vocabulum commune « moneta » ad pecuniam designandam.

Aurum ad monetam faciendam primum adhibuerunt Romani cum impensa secundi belli Punici solven-

da essent. Nummos cuderunt sexagenorum, quadragenorum et vicenorum assium. Huius modi nummos, qui « aurei » vocabantur, cusandos curaverunt Sylla, Pompeius, Iulius Cæsar et postea imperatores. Cæsar primus aureis imposuit effigiem suam. Decursu sæculorum pondus nummorum et argenteorum et aureorum gradatim minutum est ; quare Constantinus anno 312 novum nummum, qui « solidus » vocabatur, in usum induxit.

Iam instat finis Antiquitatis in parte occidentali imperii Romani. ❧



Solidus (aureus)

1. *Metallurgia* non est antiquum vocabulum Latinum. Tempore Renascentiæ fictum est e sermone Græco, ubi μεταλλουργεῖν significat in fodina metallifera laborare.

2. *Mineralis, is, e* non est antiquum vocabulum Latinum, sed mediævale ; eius originatio est Celtica ; dicitur de materia lapidea, quæ in fodinis quæritur.

IGNOTVM NOTISSIMÆ

APOGRAPHON EPISTVLÆ (1591)

QVAM AD FRANCISCVM COSTERV M S.I. DEDIT IVSTVS LIPSIVS

- edidit Theodoricus Sacré -

PRÆFATIO

Anno 1591 ineunte Iustus Lipsius, qui historiarum iurisque doctoris munere in Academia Lugdunensi Batavorum fungebatur, cum simularet se valetudinis causa aliquot menses peregre proficisci velle ut aquis Germanicis cutem curaret, re vera studiorum ei universitati, quam lingua professoria doctoque calamo tredecim iam annos ornat, valedicere variis et diversis de causis decrevit¹. Nam patriæ desiderio affectus cum uxore vel in agrum Lovaniensem prædiumve Iscanum, ubi lucem hauserat, penates transferre vel in Principatu Leodiensi, qui neutri parti (neque Hispaniarum regi neque Ordinibus) studere dicebatur, portum turbidis a rei publicæ procellis integrum reperire voluit. Accessere causæ aliæ hæc, quod religionem Calvinianam ponere, seque in avitæ ecclesiæ Romanæ fidem denuo conferre velle videbatur quodque fastidiebat contentiones eas quæ ei editis *Politicis sive civilis doctrinæ libris* (1589) cum inimicis ita erant factæ ut prope prælia ei fuerint diuturna committenda cum Theodorico Coornhertio. Utut erat, cum valetudinis iuvandæ causa missionem in tres quattuorve menses impetravisset, ne quid subolfacerent Academiæ Leidensis curatores et collegæ, cum Annam coniugem in urbe Batava, tum librorum supellectilem ibidem reliquit. Profectus die duodecimo mensis Martii, Hammaburgum venit undevicesimo eiusdem mensis ; inde Francofurtum perrexit. Francofurto discessit die 13 mensis Aprilis, proximoque die, qui erat Paschatis, Moguntiam venit. Quo cum pervenisset statim Iesuitarum adiit collegium, confessarium quæsit, confessionem fecit unaque cum Patribus prandit et cenavit. Eodem autem die ex ipso eo cœnobio ad Franciscum Costerum² quo præceptore cum Coloniae litteris incumberet olim erat usus, litteras dedit, quibus se a via diu erravisse est confessus : ad bonam frugem se recipere paratum cum Ecclesia Catholica Romana in gratiam redire velle, modo condo-

narent Patres Iesuitæ, quibus se suaque omnia committenda statueret. Exemplum litterarum earum apostatarum ipsius Lipsii manu exaratum deperditum esse videtur ; nam adhuc innotuerat unum solum apographon, quod Turici in Thesauro Hottingeriano asservatum (cod. F 60.325)³ anno 1974 primum edidit Iacobus Kluyskens⁴. Nobis autem Romæ contigit ut alterum eiusdem epistolæ apographon idque momenti non minimi in Bibliotheca Gregoriana (cod. APUG 548, f. 21r) offenderemus, quod heic, collato codice Turicensi,

critice edimus. Quod apographon cur omnes effugerit fortasse, lector, miraris. In causa est incuria quædam ex eo orta quod scriptoris nomen primis tantum prænominis et nominis gentilicii litteris est additum. Obidipsum, cum codices Romani in tabulario Gregoriano servati recenserentur, ignoti alicuius litteræ esse putabantur. Tantine, inquires, novum eiusdem epistolæ apographon ? Edita ipsa rem paulo penitius inspicemus : inspecta re epistolam nunc demum claram et perspicuam esse consenties. In ea autem divulganda atque apparatu critico, qui dicitur, instruenda his notis criticis sumus usi : codicem Romanum nuperrime a nobis inspectum siglo r donavimus, Turicensem diu notum t, editionem autem quam uno Turicensi fretus curavit Iacobus Kluyskens K.

Editio textus

P(atri) Francisco Costero I(ustus) L(ipsius)

*Reverende Pater,
Tremo cum ad te scribo. Ego tuus ille filius,
discipulus, in quem tam multa tam benigne
contulisti, tot annos erravi avius a salutari
via. Tandem visum clementi Deo me eripere.
Deserui illas paludes et in Germaniam me
contuli atque illic medicinam reperi⁵ apud
meos illos Patres. Culpas meas, quæ grandes,
grandes fuerunt, mi Pater, ante omnia expiavi
nec aliter te ausus essem vel nunc compellere.
O quoties optavi ut illas in tuum sinum
deponere et lacrymis meis possem abluere !
Ego hoc nunc quoque affectu facio et rogo, o
mi Pater, uti me in viam meliorem ingressum
precibus tuis apud Deum et B(eatam)
Virginem iuves. Tu mihi post Deum auctor
salutis, qui iacentem et diffidentem erexisti,
oblata remissione peccati quod me ligabat.*

APPARATUS CRITICUS

*P(atri) Francisco Costero I(ustus) L(ipsius) r ex add.
alterius manus : Ep(isto)la Lipsii Apostatica z K
tuus ille r : ille tuus t K
discipulus r z : discipulusque K
meas r t K : illas ante corr. r
vel r t : omisit K
peccati r : voti t K
quod r t : quæ K
quicquid r : quidquid t K
Tuæ pietati r t : Tuis precibus K
prudentiæ r t : prudentiis K
A(nn)i 1591 r : 1591 t K*

post 1591 *habent* t K olim tuus filius et nunc quoque affectu Iustus Lipsius

ADNOTATIUNCULA

Manifestum est Iacobum Kluyskens, cum uno codice Turicensi adhibito epistolam ederet, interdum dormitavisse itaque in aliquot incidisse errores. Nam nunc verbum nescio quod omisit, nunc vocabulum perperam legit, ut interdum ab emendata Latinitate recesserit. Nam Lipsium scripsisse « Tuis precibus et prudentiis me committo » quis credat ?

Legendum enim erat : « Tuæ pietati et prudentiæ me committo », quæ verba habet codex Turicensis, exhibet et Romanus. At hæc minoris, vere ut fatear, sunt momenti, quippe quibus totius rei sensus ac sententia vix immutetur. Magis illud me movet quod uno loco inter se valde differunt codices Turicensis et Gregorianus Romanus ; siquidem ille, qui unicus adhuc innotuerat, verba habet hæc : « Tu (*Costerum compellat*) mihi post Deum auctor salutis, qui iacentem et diffidentem erexisti, oblata remissione voti quod me ligabat. Ex eo tempore agitavi quod nunc per Dei gratiam perfeci ». Votum illud quid sibi vellet, dilucide non patuit. Editor enim cum rem enarrare conaretur, votum Iesuiticum innui credebatur, quod exeunte anno ni fallor 1562 Iustus Lipsius emiserat Societatem Iesu apud Colonienses Patres ingressus⁶. Constat autem inter omnes Lipsium cum in Collegio Tricoronato Coloniensi, in quo Iesuitæ cathedras tenebant, studia humaniora absolvisset noviciisque Iesuiticis mense Septembri anno 1562 dedisset nomen, iam anno 1564 ex eodem esse egressum⁷. Quæ cum ita sint, vix intelligo quid voto anni 1562 sit cum rebus anni 1591. Ceterum Lipsius, si « votum » scripsisset, affirmavisset sese oblata remissione voti statim agitavisse quod tunc perfecisset, itaque omni nisu elaboravisse ut Catholicus fieret. Quod rebus ipsis valde repugnat. Nam humanista, postquam Societatem Iesu anno 1564 deseruit (quo ei anno voti remissionem oblatam esse ipse credo) in eadem fide Catholica complures postea per annos

(1564-1572) remansit. Tum Ienensem adiit Academiam eamque Lutheranam, in qua professor est creatus (1572-1574), mox et Lugdunensem eamque Calvinianam, in qua tredecim fere per annos doctoris munere est functus (1578-1591). Itaque, lectione ea voti probata, res nimium confusa videtur esse. Sanatur autem textus sensuque carere desinit si una cum codice Romano « oblata remissione peccati » legimus. Peccatum enim fuit vita tam apud Ienenses cives Lutheranos quam apud Lugdunenses cives Calvinianos acta. Patet hinc Lipsium ineunte ni fallimur anno 1591 Costerum hac

cum prece adisse, ut faventibus Iesuitis, liceret sibi peccata abicere et in sinum Ecclesiæ redire Romanæ. Iam ergo una hac variante lectione dignum est hoc apographon quod cognoscatur, ut qua lux toti afferatur rei.

Ceterum quis apographon illud vel manu sua exaraverit, vel exscribendum curaverit, puto me facili coniectura posse uti ut assequar. Nam epistula hæc in codicibus eis adhuc latuit, qui olim fuerunt Plauto Bencio (1542-1594), Lipsi amico intimo⁸.

Cognovit alter alterum in Urbe, ubi per sesquiannum Lipsius est versatus (1568-1570). Qui cum Romæ degeret, Marco Antonio Mureto, viro doctissimo ac litteratissimo, familiariter est usus. Muretus autem Bencium, alumnus dilectissimum, Lipsio commendavit. Posteaquam alter (Belgam dico) in patriam revertit, Bencius sacros ordines accepit et

Societatem Iesu, mirante Lipsio, est ingressus. Quæ res non obstitit quin inter se litteras mutuas postea darent, licet Lipsius in partibus infidelium viveret. Itaque paucis post diebus quam ad Costerum scripsit, Bencium quoque ipsum certiore de conversione fecit Lipsius : « Reverende Pater, exprimam tibi lætitiæ quam sum affectus ? Lingua nulla possum. Tu quoque lætare mecum et Deo gratias age, qui misertus nostri eduxit me ex impuris obscurisque locis et collocavit in luce meliore. Patres tuos meosque ante omnia conveni et nunc quoque Moguntiaci iis adsum. (...) Ah quamdiu hæsimus in tenebris ? Quamdiu per vana circumducti negleximus vera illa bona quæ sola faciunt ad salutem ? Sed redimus, redimus, tarde quidem, sed ad

Ex eo tempore agitavi quod nunc per Dei gr(at)iam perfeci ; iuva amplius, mi Pater, iuva et novellam banc arborem firma. Ego tibi pro summo beneficio gr(at)ias habeo nec aliud habeo quod rependam, quam ut me tuis et Patrum salutaribus consiliis totum permittam et vitam, actiones, scripta dirigam ad arbitrium vestrum. Quod sancte promitto me facturum nec excidisse mihi ostendam tot saluberrimas admonitiones tuas quibus iuventutem imbuisti. Reverende Pater, suscipe me in veterem gr(at)iam et condona quicquid peccavi, oro te per filium Dei unigenitum et Beatissimam eius matrem. Hæc scripsi apud Patres in Collegio Moguntino, quibus me ostendi et aperui, etsi adhuc celari consilia mea opus est ob uxorem et res meas quas in Batavia reliqui sed paulatim evocabo et abducam. Tuæ pietati et prudentiæ me committo. Salve, o mi optatissime P(ate)r atque utinam canos tuos possim amplecti. Moguntia 14 Aprilis A(nn)i 1591.

benignum illum Deum sero numquam. (...) Quamquam vere et coram Deo hoc testor, in sensu de religione numquam steti apud pravos. Prisca religio semper mihi proba. Egimus tamen in locis, in quibus aliter, sed bella hæc nosti, et quam facile fluctu aut turbine aliquo abripiamur eo unde ægre redeamus ad portum. (...) ». Eadem epistola die 21 mensis Aprilis Moguntia Romam data a Bencio petivit ut se quantum posset iuaret⁹. Mense autem Iunio et Iacobus Pontanus Bencio renuntiavit Lipsium « Moguntia Calvinismum eiuravisse »¹⁰. Mox Roma Moguntiacum ad Iohannem Busæum¹¹, collegii Moguntiacensis rectorem, litteras misit Bencius, ut quid vere accidisset ex eius ore comperiret. Respondit Busæus die 10 m. Octobris cum alia, tum hæc : « Mitto exemplar epistolæ quam ex tempore ad P(atrem) Franciscum Costerum exaravit et mihi legendam tradidit. »¹²

Itaque die 14 m. Aprilis 1591 sive ipso Paschæ die Lipsius Moguntiam venit, circa meridiem collegium S.I. adiit. Ibi cum Patribus collocutus, ex tempore ad professorem olim suum Costerum litteras dedit, quibus Calvinismum eiuravit¹³; quas Busæo et ceteris ni fallor Patribus ostendit. Apographon aut accepisse aut sibi ipsum comparavisse Busæum veri est simillimum; illud exscriptum pluries plures quo Patres certiores fierent rei non levis momenti – nam erat Lipsius hominibus litteratis notissimus. E quibus exemplaribus unum, die decimo m. Octobris Moguntia Romam ad Bencium missum, illud ipsum est quod nunc Romæ in tabulario Gregoriano asservatur. ❧

1. Cfr. J. De Landtsheer, 'Le retour de Juste Lipse de Leyden à Louvain selon sa correspondance (1591-1594)', in C. Mouchel (ed.), *Juste Lipse (1547-1606) en son temps. Actes du colloque de Strasbourg, 1994*, Colloques, congrès et conférences sur la Renaissance, VI (Parisii, 1996), pp. 347-368; Ead., 'From North to South: Some New Documents on Lipsius' Journey from Leiden to Liège', in D. Sacré - G. Tournoy (edd.), *Myrica. Essays on Neo-Latin Literature in Memory of Jozef IJsewijn*, Supplementa Humanistica Lovaniensia, 16 (Lovanii, 2000), pp. 303-331.

2. De Costero (1532-1619) egit i.a. W. Audenært, *Prosopographia Iesuitica Belgica antiqua. A Biographical Dictionary of the Jesuits in the Low Countries*

1542-1773, I (Lovanii, 2000), p. 242.

3. Cfr. A. Gerlo - H.D.L. Vervliet, *Inventaire de la correspondance de Juste Lipse 1564-1606* (Antverpiæ, 1968), 91 04 14 C (p. 106).

4. Cfr. J. Kluyskens, 'Justus Lipsius and the Jesuits. With Four Unpublished Letters', *Humanistica Lovaniensia*, 23 (1974), 244-270 (pp. 264-266). Consulas etiam eodem scriptore 'Les années passées par Juste Lipse chez les jésuites à Cologne. Etude critique', *Archivum Historicum Societatis Iesu*, 42 (1973), 310-321.

5. = repperi.

6. Cfr. J. Kluyskens, 'Lipsius and the Jesuits', o.c. et 'Les années', o.c.

7. Cfr. J. Hansen (ed.), *Rheinische Akten zur Geschichte des Jesuitenordens 1542-1582*, Publikationen der Gesellschaft für Rheinische Geschichtskunde, 14 (Bonnæ, 1896), passim. Cfr. p. 781: « Jodocus Lips sive Justus Lipsius Bruxellensis (admissus ad Societatem 29. Septembris 1562; imm. 1563 April 20. 19. Juni 1564 accepit litteras promotionis suæ, nempe baccalaureatus, Jodocus Lips Bruxellensis in Bursa Jesuitarum promotus, Decanatsbuch der Artisten IV fol. 317) ». Costerus tunc noviciorum erat magister.

8. De Bencio egit H. Peeters, 'La correspondance de Juste Lipse avec Plauto/Francesco Benci: le récit d'une amitié', in M. Laureys e.a. (edd.), *The World of Justus Lipsius: A contribution towards his intellectual biography. Proceedings of a Colloquium held under the auspices of the Belgian Historical Institute in Rome (Rome, 22-24 May 1997)* (Bruxellis-Romæ, 1998), pp. 97-117. Cfr. etiam quæ in eodem libro de Mureto scripsit J. IJsewijn, 'Marcantonio Mureto' (pp. 71-80), quæ de Delrio W. Thomas, 'Martin Antonio Delrio and Justus Lipsius' (pp. 345-366).

9. Cfr. P. Burmannus, *Sylloge epistolarum a viris illustribus scriptarum*, 1 (Lugduni Batavorum), num. 66.

10. Die 14 m. Iunii: cfr. J. De Landtsheer, 'From North to South', o.c., pp. 329-331.

11. De Busæo egit W. Audenært, *Prosopographia*, o.c., I, p. 177.

12. Cfr. J. De Landtsheer, 'From North to South', o.c., pp. 328-329.

13. Eodem die et ad Patrem Martinum Antonium Delrium de ea re litteras dedit: « Reverende Pater, Amor noster vetus et verus non permittit ut te celem facinus grande quod patravi. Dei benignitate eripui me e laqueis quibus implicabar et salvus atque incolumis perveni in Germaniam ad Patres vestros. Mentior, salvus. Sed Dei misericordia, ope Patrum, illis quoque me liberavit et hoc unum superest ut perseverem in bona via et firmo eam pede calcem. Iuva o me tuis precibus: tu, inquam, qui ad hanc me in parte duxisti, post cuius salutare litteras Deum iterum iratum habeam si umquam conquivi. » (cfr. *La correspondance de Juste Lipse conservée au Musée Plantin-Moretus. Introduction, correspondance et commentaire, documents, bibliographie* par A. Gerlo et H.D.L. Vervliet avec la collaboration d'I. Vertessen (Antverpiæ, 1967), num. 19).

ODIVM ACADEMICVM

II

- scripsit Alexander Ricius Lotbaringius -

Per breve temporis intervallum, quod longius æstimavit Teucæus, omnes obstupuerunt. Stridens fuerat ululatus, quasi feræ mortifero vulnere affectæ. Mors in stridore isto inerat, atrox quid atque desperatum. Postea nihil auditum est.

Primus resiliit Racous : « Rozanus est ! » In pedes consurrexit, pluteum labilem aperuit, currens abiit in perambulacello, cum alii adhuc hebetes sederent. Actutum auditæ sunt voces, anhelatus ab extremo horto : « Succurrite ! » Surrexerunt continuo omnes ; cursim Teucæus latrinam petiit, cum alii tardius sequerentur. Post angulum continuabatur sinistrorsum perambulacellum, cuius extrema pars latrinam attingebat. Ibi imanissimum quid aspexit.

Iunior discipulus sanguinolentum collum dextera tenebat ; sinistra superiori niti conabatur, ab eo oculis auxilium implorans dum horribilis gluttitio vocem vincit. Mox genua submitit, cum Racous lapsus eius accommodaretur. Senior iuniorem tenere complectebatur, eumque exhortabatur. Sed paulatim in perambulacelli tabulis decubuit, oculis vitreis factis, manusque eius delapsæ sunt. Racous iuxta eum in genua subsegit, iugiter nomen eius appellans. Tunc omnibus visus est pugio quo transfixa erat iuvenis gula.

Racous paulisper oculos clausit. Deinde surrexit ; vultus manus vestes eius sodalis cruore coinquinata erant, os tremebat continenter. Iram furoremque in Draconidentem vertit : « Tu improbe illum necavisti ! » Videbatur in senem ruiturus. Circumstantes increduli voces emisissent. Ille autem impavide respondit : « Bona verba ! Propter mærorem deliras. Hospites meos necare non soleo. »

« At necandum curavisti ! Num putas me non vidisse te manu discipulum tuum iubentem, cum similes te de valetudine Rozani sollicitari ? Quonam gentium abiit iste ? »

Tunc demum occurrit philologi discipulus. Inopinanter eum rogavit Ferrarius : « Ubi fuisti pusille ? » Antequam responderet oculos in cadaver coniecit atque expalluit : « Qu... quid accidit ? » Ferrarius respondit : « Ut vides, necatus est misellus hic ; ubi fuisti ? » « Ad coquinam ivi ut famulum iuberem crustula afferre theamque, quæ allaturus eram. Putavi enim dulcia aliquantum iratos animos dissipatura fore. »

Cruentus scholaris discipulum veste apprehendere voluit : « Mentiris, citius confitere ! » Verba interiecit Ferrarius : « Precor, is scilicet nihil fecit ; ne gutta quidem sanguinis eius vestem maculat. At patet necatorem intactum abire non potuisse : aspice quantum cruorem effuderit ille. »

Lusitanus locutus Racous furorem decuplavit. Manus a discipulo sustulit atque denuo Draconidentem increpavit : « Quomodo utique fers alienigenam istum, eumque barbarum, insanorum deorum cultorem scholis tuis adesse ? Qui talem ad se vocat, cur non æstimem eum omnium facinorum reum esse ? »

« Novisse debes illum hospitem nostrum », admonuit homullus, « bonzium esse Scholæ Meditationis ; et religione et nomine et cultu nostras iam existit... » His malevolo derisu respondit Racous.

Ei autem adhuc vociferanti dorsum vertens Ferrarius Teucæo cadaver monstravit : « Quid putas ? » « Patet uno pugionis ictu interfectum esse miserum illum cum in latrina seu adhuc esset seu potius exiret. Reus enim procul dubio maceriam enisus huc intrare volebat, furtum aliquod meditans ; forte Rozanus exiens ei obviam factus est. Territus eum necavit atque fugit. »

Barbam spissam lævigabat Lusitanus meditabundus. Ultra maceriam audiebantur voces. « Velim te, inquit, ædibus his exire vicumque maceriæ huic adjacentem conspiciere, utrum aliquis vestigium reliquerit. » Dein Draconidentis discipulo : « Tu, mi puer, præpositum vicinalem pete, ut custodes arcessendos curet. Referat Savanum Tuanem eos vocare. » Uterque iuvenis currens abiit.

Post portulam Teucæus dextrorsum ivit, adque angulum iterum dextrorsum cursum vertit. Sic viam intravit, fere angiportum, iuxta Draconidentis ædium maceriam. Vicus erat inter maiores ædes, domunculis marginatus ubi plebecula negotia parva gerebat. Ad mediam viam tabernula erat, mensa tantum cui foris appositum erat scamnum sub aulæo. Ibi sedebat mulier, annorum circiter quinquaginta, singultibus convulsa. Circa stabant coqua, famulæ, vici senulæ, baiuli. Inter planctus eadem repetebat : « Eum vidi, eum his oculis ego, furem istum et latronem, sicarium, necatorem ! » Alii eam consolabant, alii occulte ridebant.

Tamquam curiosus eos avidit studens : « Quidnam accidit ? Cur flet hæc ? » Derisor quidam respondit : « Misella stulta in deliramentis suis semper aliud novum fingit. Nunc asserit se furem vidisse. »

Inenarrabiliter exsultavit in pectore Teucæus : recte acta coniecerat. Simplici rationis exercitatione, conspectis aliquibus indiciis, necationis gradus restituerat : necatoris irruptionem super maceriam ad latrinam, interfectionem, fugam eodem cursu. Et fur demum exsistebat ! Hæc posthac non sine gloria Ferrario referre licebat ! Primum autem confirmandæ erant res.

Mulierculam interrogavit : « Amita, eum quem vidisti potes mihi describere ? » Quo percunctato omnes profuse riserunt. Mirabantur aliquem ei deliranti credere. At ea firmata statim narrare cœpit : « Vidi istum dæmonem, cuius vultus aterrimus erat crinisque ruberimus ; terribile aspectu ! Ensem perlongam tenebat. » Obstupuit iuvenis : tales homines non erant ! Noverat a Ferrarii relationibus peregre esse Æthiopes et Eriugenas², quorum aliqui et ad Iaponiam venerant, sed numquam audivit rufos esse Æthiopes. An vere dæmonem aspexerat ea ? Cur manu enses habebat, cum Rozanum pugione necavisset ? Rogavit ubi demum eum vidisset. Digito ostendit domunculam quandam. Non dubitabat indagator iam procul abesse furem homicidam, sed locum videre voluit.

Iuxta domunculam erat perangusta semita, quam inivit. Post aliquot passus ad eius aures risus submissi a posticula venerunt. Pedetemptim progrediens ægre ferebat se secum enses non habere ; quid si adhuc prope laterent fur sodalesque sui ? Sed audax erat iuvenis. Extemplo ad ostium cucurrit atque magna voce clamavit : « Conclamatum est ! Manus date omnes ! » At ipse attonitus constitit.

Duo pueri, annorum fere tredecim, eum pavefacti respexerunt. Maior statura vultum habebat fuligine illitum, inque capillis vittas chartaceas rubras implexas. Dæmonium erat a muliere aspectum. Presse interrogatus narravit puer se miserandam mulierem mente captam, cuius nomen *O-Nabe* erat (id est Olla), deludere voluisse, idcirco sic mutatum aspectu necopinato ad eam assiluisse. « Ubi autem, conclusit, ululavit Olla, ocius effugimus. »

Mirus affectus in Teucæi cor irrupit :

« Quid ais ? Mulierne ululavit ? »

« Maxime, mulier. »

« At vos alium quem clamantem audivistis ? »

« Nemo clamavit nisi Olla, avuncule. Dein effugimus. »

« Quomodo ululavit ea ? »

Puer, ridentibus oculis, flatum recepit atque extemplo stridentissimum ululatum emisit, omnino ei similem quem modo in Draconidentis ædibus audiverat. Quid censendum erat ? Procul dubio Ollam clamantem audiverat. Quomodo æstimare potue-

runt Rozani vocem fuisse ? At quis eum necavit, si fur non esset ? Tam pulchra tamen fuerat coniectura eius. Nunc ruebat.

Pueros reliquit et festinanter ad Triplicis Inspectionis Academiam rediit. Media in via homines circa *O-Nabe* aspexit novo ululatu satis perturbatos. Breviter eos certiores fecit omnia nonnisi putorum iocum fuisse ; abiit dum vicini puerorum maiores castigationes promittunt. Clam speravit eos correctionem effugere posse.

Reversus mira reperta Ferrario statim referre voluit. Famulus eum duxit ad minus conclave in quo Lusitanus et philologus una, exclusis aliis, colloquebantur. Invitatus accurate omnia enarravit. Præter opinionem, Ferrarius admodum lætatus est. « Tua opera, omnia nunc claruerunt. Et amicus noster Draconidens Magister mihi aliqua explicavit quibus intellectio adiuatur. Tempus est casum hunc simpliciorum concludere. » Tunc Draconidenti : « Precor, famulum iube ut omnes qui scholæ tuæ aderant in aula, ubi fuerant, congregiantur. »

« Iam omnes ibi sunt. »

« Optime, illuc eamus. »

Tres perambulacellum ad aulam secuti aperto pluteo introierunt. Sedebant quattuor studiosi.

Chelycephalus attento funditus animo librum legebat. Forte advertit Teucæus scripta esse Figulii Abyssalis

(*Tao Yuanming*), vitæ segregis laudatoris.

Draconidentis duo discipuli inter se murmurabant. Racous vultus manumque cruorem aliquantum deterserat at maculatis vestibus sedebat, faciem horrendam præbens desperationis et iræ.

Quasi prius cum Ferrario collisisset, philologus ad lectorinum suum rediit et eos allocutus est : « Miser Rozanus in proximo conclavi iacet, donec veniant custodes publici qui eum auferant et rem investigent.

Nunc autem dicendi gratiam Tivani nostro facio. Illi aures attendite, nam potestate fruitur ipsius Prætoris urbani. » Hæc audientes nonnulli obstupefactos vultus levaverunt. Ferrarius non ad locum ubi sedebat revertit, sed ante eos, tergum ad hortum exteriorem vertens, assedit. Orationem habuit.

« Vobis, amici, fabulam brevioram narrabo qua illustrabuntur plures virtutes : fides,



Hôkusai (1760-1829)

pertinacia, audacia, in primis vero animi intellectusque vivacitas. Omnes virtutes hæ conglobatæ hominem efficere solent admirabilem, heic autem necatorem suscitaverunt. » Curiosi oculi eum intuebantur.

« Fides movebat iuvenes discipulos duos scholæ Retimontani. Seniore iam distinguebat eorum magister propter scientiam et artem scribendi. Iunior autem seniore venerabatur sibi exemplum eum fecerat. Fidebat senior magistro, iunior seniori fidebat, seniorque iuniori, tamquam futuro vicario suo. » Draconidens vultum non movebat dum loquitur Ferrarius, eius vero discipuli inquietudinem manifestare incipiebant. Racous nihil audire videbatur.

« Senior audacia non carebat, sicut dixi ; voluit magistri sui æmuli doctrinas inspicere, ut ipse magistrum defenderet severo examine. Ita Draconidentem rogavit ut huius academiæ acroasibus adesset. Draconidens noster neminem timet, adeo enim se ab ipsa Philologiæ dea protegi æstimabat. Criticorum impugnationes illi tamquam culicum bombus ; libenter eos accepit, etsi noverat heic nonnisi arma eos quærere ad se ipsum destruendum.

Sed improbable quid contigit : iunior discipulus qui, ut non dubito, sapientior erat, paulatim discernere incepit validiora esse Draconidentis argumenta quam ipsius sui magistri. At gradatim consilium cepit maximi facinoris perpetrandi. Scholam videlicet mutare volebat. Hoc Draconidenti confessus est ; dixitque se iam seniori suo dubia sua revelavisse. De hoc me modo certiore fecit amicus noster.

Senior nimirum proditionem hanc, quam putabat esse, tolerare non poterat. Intellexerat quanto magistro suo detrimento iunioris transfugium fieret. Non aliter agendum erat : delendus erat transfuga. Sed magistri honorem lædere nolebat. Discipuli necatio academiæ magistri infamia macularet. Ipsum necare ad magistri maiorem honorem esse debebat.

Hæc ergo animo diutius reputabat. Hodie vero occasio data est ut animi extraordinariam vivacitatem manifestaret. Quo deo inspirante hoc excogitavit ? Noverat iuniorum mox deserturum esse. Eum in ipsa Draconidentis academiæ trucidare omnium optimum esset. Idcirco secum pugionem ferebat. At ita perpetrari debebat facinus ut opprobrium esset magistri sui æmulo.

At cum heic sederemus omnes, di faverunt isti. Omnes ululatum extemplo audivimus adeo horrendum atque informem ut nesciretur utrum mulieris an viri vox fuisset. Cum hæsitaremus, iste omnium celerrimus atque vivacissimus nobis consilium suum imposuit.

Iunioris nomen clamavit atque statim exivit. Nesciebat ipse unde oriretur vox, at audacissimam sponsonem fecit. Nos eum audientes omnes persuasum habuimus Rozanum clamavisse, cum re vera nihil de hoc sciremus. Iste autem eius nomen clamando id verum nobis effecit. *Sed adhuc vivebat ille cum ululatum est foris.* » Nunc omnes intellexerunt ; Racoum non sine horrore inspiciebant. Is oculos ab horto avertebat, aciem odio plenam in Ferrarium intendebat.

« Sic primus ad latrinam cucurrit, unde exibat Rozanus, clamore provocatus. Celeriter sollerterque eum in gula pugio ferit, ne vocem emitteret accusantem. Tunc nefandam scænam nobis, qui tardius advenimus, gessit : sese amicum simulavit adiutantem quasi paterno more, cum re ita efficeret ut nihil in se gereret miser. Putavimus Rozanum ab isto opem petere, sed reapse necatorem accusare conabatur.

Feliciter autem Teucæus noster brevi indagatione repperit unde ortus esset clamor. Hoc inventum satis fuit ei addere quod mihi retulerat Draconidens ut verus reus detegeretur. »

Racous dementer vociferans surrexit inque Ferrarium irruere voluit : « Nimium est, o barbare immunde, te de medio tollam ! » Teucæus autem robustum corpus suum furienti interposuit eumque repulsit.

Eodem momento magnus tumultus in vestibulo auditus est. Coadiutor a præposito vicinali vocatus advenerat, comitantibus custodibus. In aulam irruerunt omnes. Adnuente Ferrario, coadiutor, qui ei notus erat, Racoum hebetem vinxit eduxitque. Rozani cadaver segestri coopertum lectica extulerunt.

Cum Draconidens eos ad prandium invitaret ut se post tantas perturbationes restaurarent, Lusitanus recusare debuit, magna Teucæi ægritudine, nam casus prætorio urbano referendus erat. Ambo ergo ex academiâ post coadiutorem exierunt.

Iter ad prætorium dum sequitur, Ferrarius leviter suspiravit : « Iste omnibus virtutibus ornatus erat quæ optimum philologum producant. Valde dolendum est viam eum elegerit homicidii ; tanto animo enim multos ineptos grammaticos facile refutare potuerat. » ❧

1. *Reus* sensu Christiano (ut missionarios decet, nam, vide Melissæ fasciculum n. 102, Ferrarius fuit missionarius), significat *noxius*. Cfr Tert. Apol. 2,8.
2. Eriugena (> graiugena, troiugena) : ab Hibernia oriundus (sicut Iohannes Scottus Eriugena philosophus [Periphyseon]).

DE CRUCE SOLARI

- scripsit Stephanus Feye -

Alchemiam paucissimi callent. Quod certe mirum non est si innumerabiles artis illius textus inspiciamus. Omnes enim auctores qui de lapide philosophorum tractant in hoc consentiunt : profanos aut ignorantibus docere omnino nolunt ! Solum *candidum lectorem* (i.e. illum qui igne divino iam dealbatus est), *filium suum* (i.e. illum qui semine tradito Hermetista verus iam factus est) alloquuntur. Sicut igitur Iesus, parabolis utuntur ne extranei intellegant. Re vera, « tantum, aiunt, ut alii posterioresque philosophi me sciant etiam fuisse philosophum, scribo ». Et Vergilius ipse, qui scripsit : « Non canimus surdis »¹, fuit etiam, secundum eos, alchemista...


Nolo, ego, cuicumque persuadere. Nam discipulus sum Christianissimus Sancti Thomæ (apostoli, evidenter !). Quæstio, meo sensu, est hæc : absconderuntne sapientes (aut pseudosapientes) illi scientiam an ignorantiam suam ? In primo casu (i.e. scientiam si celant), maxime laudandi sunt sine dubio. Nam si potentia lapidis philosophici superat eam bombæ atomicae,

solum dolendum est quod docti profani illos sapientes silentiumque eorum non imitati sunt. Quid enim accideret si Ben Laden quidam potestatem magicam Moysis possideret ? In altero casu (i.e. ignorantiam si celant), iure reprobandi sunt. Attamen statim apparet novum problema : redundatio ingens tractatum alchemicorum per tot sæcula scriptorum ! Olim quidem pæne omnes illam abundantiam ignorabant, num rationalismi causa, Iesuitarum causa, Sanctæ Inquisitionis causa, nescio. Nunc vero, præsertim post mirabilem exhibitionem anno 1984 ab argentaria c.n. « Crédit Communal de Belgique » Bruxellis ordinatam, postque non minus mirabilem illustratumque librum illa occasione ab eadem editum² auctore Iacobo Van Lennep, professore in Regia Bonarum Artium Academia, nunc, dico, omnes librorum alchemicorum quantitate qualitateque stupefiunt tot linguas per historiam editorum. Adspice, lector, duas imagines hic appositas. Hæc exempla tibi sufficiant : duo tomi doctoris Mangeti continent pæne 2.000 paginarum (in quarto). Theatri autem Chemici sex volumina Argentorati edita faciunt summam 4.900 paginarum (in octavo) !

Multi tractatus alchemici oriundi sunt e reliquiis voluminum Bibliothecæ Alexandrinæ a Cæsare delectorum, sicut unusquisque scit³. Qua de causa ad nos adducti sunt via Græca, Persica, Hebraica, Arabica... et Latina. Celeber Alchemista Rosinus nomine, exempli gratia, quem potui ego transferre a tribus manuscriptis Latinis sæculi quarti decimi, nemo sit nisi Rusim (Arabice), i.e. Zosimos Panopolitanus Ægyptius philosophus qui scripsit Græce, tertio aut quarto sæculo p.C.n., secundum traditionem alchemicam antiquitatis !

Fatendum igitur est chimæram alchemicam, si ignorantia re vera est, sique mendacium docet, vita quasi æterna frui. Immo, potestas eius magica ita se extendit ut omni tempore alliciat permultos et vulgares et doctissimos homines. Etiam ille Ludovicus Figuier, idem qui scripsit *L'Alchimie et les Alchimistes*⁴ et qui doctrinæ alchemicæ omnem veritatem recusat, hoc miraculum agnoscendum esse fatetur. Sicut ergo in rebus religiosis, negatio pura ac simplex omnia problemata non solvit !

Quicquid id est, Alchemia nobis litteras Latinas multas præbuit, etiamque carmina. Hic lectori excerpta tractatus c.t. *Le Mystère de la Croix, affligeante et consolante, mortifiante et vivifiante, humiliante et triomphante, de Jésus-Christ et de ses membres*, proponimus, qui etsi Francogallice redactus, tamen pœmatibus Latinis ornatus est. Cuius editio princeps anno 1732 facta est, de qua unum tantum exemplar adhuc remanere videtur. Excerptum nostrum oritur e paginis 216



et sqq. editionis anastaticæ anno 1975 Mediolani apud domum editoriam Archè factæ.

Fieri potest ut auctor, omnino ignotus (ut semper cum agitur de Alchemistis gloriæ vanæ numquam cupidis), quidam « Douzetemps » fuerit nomine. Sed satis. Age lector, meditare nunc opus solare. Sol alchemicus te illuminet !

☉r, ☉culum, Lumen Mundi, Centrumque creavit

Me Deus : et de me nobile fecit opus.

Punctum ego sum simplex internæ Lucis apertum :

Quo veræ Lucis lumen ubique micat.

Non ex me, sed ab interno splendore corusco :

Non ego Lux ; sed sum Lucis Imago sacræ.

Interni Cœli Lux alma reverberat in me

Hanc, quæ vivificat lætificatque, facem.

Interior tamen est mihi fons, quam rebus ab extra !

Namque gero internæ Lucis agoque vices.

Sancta, per immotum me, Lux movet omnia : per me

Cuncta creata fovet, cuncta creata regit.

Per me instrumentum Lucis, fidumque ministrum

Omnia purificat, servat, amicit, alit.

Omnia me circum girant : ad me omnia vergunt :

Subditus ad Dominum vergit ut ipse suum.

Quærit anghela meam faciem ; convertitur ad me

Terra : vel Infernus, me sine, Terra foret.

Olim Terra meum ad Punctum spectabat : at illa

Nunc centrum est, ad quod cuncta elementa fluunt.

Dum fiet nova Terra : iterum spectabit ad illud ;

Et Paradisiaco germina more feret.

Per me homines capiunt rationem, brutaque sensum :

Sed non divinæ Lux mihi mentis inest.

Luciferi a lapsu, regales occupo sedes :

Et sedeo firmus, quo fuit ante throno.

Immensus Cœli, ut cernis, me circulus ambit :

Circuli eg☉ Punctum, lumen ab igne fero.

Michæel princeps, victo eiectoque Dracone,

In me præsidium, Luce iubente, tenet.

Mas eg☉ do cunctis activum lumen et ignem :

Fœmina passivam Luna ministrat aquam.

In nobis tinctura latet, quam turba Sophorum

Invidiosa tegit, quamque Sophista negat.

Cum meum ab interno lumen splendet ad extra :

Hinc homo ab externis interiora petat.

Monstro viam ; sed plus ultra, veloque remoto

Tendat, ubi veræ Lucis origo latet.

Ignem repperiet, qui me succendit, alitque :

Postmodo tincturam deteget, inde Crucem.

Crux sacram Triadem, Maiestatemque revelat :

Sub Cruce stet : dabitur, sub Cruce, Luce frui. ❀

1. *Buc.*, 10, 8.

2. 447 paginarum, nondum, nisi fallor, exhaustum.

3. Secundum vero recentissimas inquisitiones, anno 48, 47, solum receptaculum in zona portuaria situm, continens non plura quam 40.000 voluminum, igne deletum est, et nullo modo totum ædificium. Vide Robert BARNES, « Cloistered Bookworms in the Chicken-Coop of the Muses : The Ancient Library of Alexandria », in Roy MacLeod (ed.), *The Library of Alexandria, Centre of Learning in the Ancient World*, Londinii-Neeceboraci, I.B. Tauris, 2000, pp. 61 sqq.


4. Louis Figuier, *L'Alchimie et les Alchimistes*, Lutetiæ Parisiorum, Hachette, 1860.

THEATRUM CHEMICUM,
PRÆCIPUOS
SELECTORUM AUCTO-
RUM TRACTATUS DE CHE-
MIÆ ET LAPIDIS PHILOSOPHICI
Antiquitate, veritate, jure, præstantia, & ope-
rationibus, continens :

*In gratiam Veræ Chæmiæ, & medicinæ Chæ-
micæ studiosorum (ut qui uberrimam inde optimorum re-
mediorum messem facere poterunt) congestum, & in Sex
partes seu volumina digestum ;*

SINGULIS VOLUMINIBUS,
SUI AUCTORUM ET LIBRORUM
Catalogo primis pagellis : rerum verò & verbo-
rum indice postremis annexo.

VOLUMEN PRIMUM.



ARGENTORATI,
Sumptibus HEREDUM EBERH. ZETZNERI

M. DC. LIX. M

IVVENIS WERTHER QVÆ PASSVS SIT

– excerpta in Latinum versa a Nicolao Gross –

Flumine¹ lacrimarum e Lottæ oculis erumpentium Werther impeditus est, ne pergeret canere. Qui chartam abiecit, Lottæ manu comprehensa effudit lacrimas amarissimas. Lotta capite alteri manui imposito oculos mucinnio obtexit. Ambo horribiliter commoti sunt. Fortuna illorum ingenuorum considerata senserunt miseram propriam, communiter senserunt, ut lacrimæ suæ confluerent. Wertheri labia et oculi ardebant Lottæ brachiis appressi; horror in eam invasit; abituræ animus dolore et misericordia tam graviter afflicta est, ut eius membra torpescerent. Lotta respiravit, ut recrearetur, illum gemens rogavit, ut pergeret, tamquam tota voce cæli! Werther tremuit, dolore pæne disruptus est, folio sublato voce semifracta recitavit: « Quid me suscitās, aura vernalis? Blande loqueris: 'Irroro guttis cælestibus!' At imminet tempus viescendi, imminet tempestas, qua folia mea deturbantur! Cras veniet migrator, veniet is, qui me vidit pulchritudine mea ornatum, in campo me quæritans non inveniet... »

Tota horum verborum vehementia miserimus est oppressus. Procubuit ad pedes Lottæ prorsus desperatus, manus mulieris comprehensas oculis suis appressit, fronti oppressit, ut Lottæ animum transvolare videretur cogitatio quædam rei terribilis, quam Werther sibi proposuerat. Sensibus perturbatis mulier viri manus appressit, pressit eas pectori suo, motu flebili ad eum delapsa, ut genæ amborum fervidæ inter se contingerent. Mundus iis visus est evanescere. Werther Lottæ brachia circumplexus eandem pectori appressit, mulieris labia tremula, balbula obtexit oculis iracundis. – « Werther » mulier voce fletu præclusa vocavit; se avertens, « Werther! » – manique infirma pectus viri removit a suo proprio. « Werther! » vocavit voce, quæ cohibita erat sensu maxime ingenuo. – Iuvenis non restitit, emisit iuvenicam e brachiis suis et ad eius pedes procubuit. Eadem a lapsu se collegit, quo erat timore, perturbata inter amorem et iracundiam suspensa tremens dixit: « Hoc factum est ultimo! Werther! Me non revidebis. »

Lotta miserum aspiciens oculis amore plenis prope-ravit in conclave iuxtapositum ianuamque post se clausit. Werther brachia protendit versus eam, quam non ausus est retinere. Terræ incubuit, capite in stibadium imposito, sic positus per plus semihoram remansit, usque dum sono vocaretur ad se ipsum. Qui sonus effectus erat a puella mensam epulis exstructura. Huc illuc ambulabat per conclave, et, cum videret se iterum solum esse, adiit ianuam zothecæ et vocavit voce submissa: « Lotta! Lotta! Unum tantum verbum! Unum 'vale'! » – Illa tacuit. Is manebat et rogabat et

manebat; deinde se abripiens clamavit: « Vale, Lotta! In æternum vale! »

Venit ad portam oppidi. Vigiles ad eum iam assuefacti taciturni siverunt exire. Pervagabatur per imbres et nives, versus undecimam demum horam iterum ianuam pulsavit. Minister autem eius, cum animadvertet Werthero domum venienti deesse petasum, aliquid dicere non ausus eum exiit; omnia vestimenta erant umida. Postea petasus inventus est in aliquo saxo, quod colle secundo versus vallem situm est, nec intellegi potest, quomodo ille ascenderit nec delapsus sit ipsa in nocte tenebrosa et umida.

Ad lectum transgressus diu dormivit. Minister eum invenit scribentem, cum mane sequenti vocatus attulit cafeam. Qui in epistula ad Lottam scripsit ea quæ sequuntur.

« Ultimo igitur, ultimo aperio hos oculos. Qui – eheu! – non iam videbunt mundum die turbido et nebuloso obtectum. Ergo luge, natura! Filius tuus, amicus tuus, amatus tuus appropinquat fini suo. Lotta, sentio aliquid incomparabile, sed simillimum somnio subobscurum, cum mihi dico: hoc est mane ultimum. Ultimum! Lotta, non comprehendo vim verbi 'ultimum'. Nonne hic sto viribus meis integris? Cras autem pavimento incumbam prostratus et lassatus. Mori! Quid hoc sibi vult? Ecce nos somniamus de morte loquentes. Morientem vidi nonnullum; at tam angustæ mentis sunt homines, ut non comprehendant existentiam suæ initium et finem. Adhuc mea es, sum tuus! Tuus, o amata! Et per momentum – separati, divisi – fortasse in æternum? – non, Lotta, non – quomodo ego dispeream? Quomodo tu dispereas? Sumus quidem! – Disperire! – Quid hoc valet? Quod est verbum! Vanus sonus! Privatus a sensu, quo cor meum commoveatur! – Mortuus, Lotta! Humo frigidæ infossus, tam angustæ! Tam tenebrosæ! – Fuerat mihi amica, quæ mihi iuveni inopi una omnia fuerat; quæ mortua est et ego secutus sum eius corpus mortuum et steti ad sepulchrum, cum demitterent arcam funebrem, cum funes striduli arcæ submissi sursum retraherentur, deinde prima glæba vatillo deiceretur, tum arca anxia redderet sonum fuscum, et fuscio-rem, etiamque fuscio-rem, et tandem esset obtecta! – Delapsus sum iuxta sepulchrum – animo commoto, correpto, territo, discisso, sed nescivi, quid mihi fieret – quid mihi foret – mori! Sepulchrum! Non intellego hæc verba!

O ignosce mihi! Ignosce mihi! Heri! Utinam fuisset ultimum momentum vitæ meæ. O tu angela! Primum omnium, primum omnium, procul omni

dubio voluptas perarsit medullam meam intimam : Illa me amat ! Illa me amat ! Adhuc ardet in meis labiis ignis sacer, qui manavit de tuis, nova voluptas fervet in animo meo. Ignosce mihi ! Ignosce mihi ! Heus sciveram me amari a te, sciveram hoc oculis vivide in me coniectis, sciveram hoc manu primo pressa, tamen, cum iterum afueram, cum videram Albertum iuxta te versantem, denuo desperaveram dubitationibus febriculosus. Recordarisne flores mihi missos, cum in illo conventu fatali nullum verbum mihi dicere potuisses, nullam manum dare ? O per dimidiam noctem genibus flexis ante eos flores positus sum, quibus amor tuus mihi confirmatus est. At eheu ! Ita præterierunt hæ animi commotiones, ut paulatim discedit ex anima sensus gratiæ divinæ hominis fidelis, quæ ei tota copia cælesti sanctis signis visibilibus tradita erat.

Hæc omnia sunt fluxa et fragilia, sed ne ulla æternitate exstinguatur vita ardentissima, qua heri in tuis labiis perfractus sum, quam sentio in me ! Illa me amat ! Hoc brachium illam circumplexum est, hæc labia in illius labiis tremuerunt, hoc os ad illius os balbutivit. Illa est mea ! Tu es mea ! Ita, Lotta, in æternum. Quid hoc sibi vult, Albertum esse maritum tuum ? Maritum ! Hoc igitur pro hoc mundo – et pro hoc mundo peccatum, quod te amem, quod cupiam te ex illius brachiis in mea rapere ? Peccatum ? Bene, et me punio huius causa ; gustavi hoc peccatum tota voluptate cælesti, suxi balsamum vitæ et robur in cor meum. Tu es ex eo momento temporis mea ! Mea, o Lotta ! Ego præibo ! Ibo ad patrem meum, ad patrem tuum. Cui lamentabor, et is me consolabitur, usque dum tu venias, et volabo ad te venientem et te comprehendam et apud te manebo te coram Deo infinito in æternum amplexus.

Non somnio, non opinor ! Prope sepulchrum cum sim, clarius video. Nos erimus ! Inter nos revidebimus ! Matrem tuam videbimus ! Videbo illam, inveniam illam, eheu, illi effundam omnia, quæ sentio. Tuæ matri, veræ tui imagini. »

Versus horam undecimam Werther ministrum interrogavit, num Albertus rediisset ? Minister respondit : ita esse, se vidisse illius equum huc duci. Tum dominus ei dedit scidulam apertam, cui inscripta erant hæc : « Vin, te amabo, ad iter faciendum mihi commodare pistolia tua ? Bene vale ! »

Cara domina nocte præterita parum dormiverat ; quod timuerat, erat iam decretum, tali ratione decretum, qualem neque suspicari neque timere poterat. Sanguis dominæ alioquin pure atque leviter fluens

febri quadam fervebat, anima eius pulchra mille modis dilacerabatur. Num sinus suus commoveretur amplexibus Wertheri flagrantissimis ? Num ipsa indignaretur de viri audacia ? Num subirasceretur, cum compararet condicionem suam præsentem cum illis diebus innocentia prorsus ingenuæ et confidentiæ sui securæ ? Quo animo marito obviam itura esset ? Quomodo se profiteri posset rem esse factam, quam profiteri non ausa esset, quamvis sibi sane liceret ? Cum diu alter alteri tacitum os suum præbuisset, num ipsa oporteret esset prima, quæ eo silentium rumperet, quod marito rem tam inexpectatam panderet ? Cum iam timuisset, ne ipse nuntius visitationis Wertheri marito displiceret, tum factam esse istam calamitatem inexpectatam ! Num sibi liceret sperare rem a marito sat diligenter perspectum iri, sine ulla opinione præiudicata ? Tamen, num posset celare aliquid illum virum, coram quo semper hyali crystallini instar aperta atque libera stetit, quem nullum sensum umquam celasset neque celare potuisset ? – His et illis Lotta sollicitabatur, in angustias adducebatur ; iterum iterumque cogitando redibat ad Wertherum, qui sibi perditus esset, quem mittere non posset, qui – dolenter ! tradendus esset sibi ipsi et cui, si ipsam perdidisset, nihil relinqueretur.

Quam graviter Lotta nunc (quod eo momento temporis comprehendit) dolebat sermonem mutuum refrixisse. Homines tam prudentes, tam boni propter quasdam differentias secretas ceperant unus alteri tacitum os præbere, omnis deliberabat de suo iure et de alterius iniuria, res tam vehementer erant implicatae et turbatae, ut eo ipso tempore ultimi discriminis, a quo omnia pendebant, nodus illarum solvi non posset. Si qua familiaritate felici prius unus alteri conciliatus esset, amore et indulgentia eorum mutuo animatis animis apertis – fortasse amicus noster adhuc servatus esset.

Accessit alia res mirabilis. Werther, ut scimus ex eius epistulis, numquam celaverat, quod desiderabat hunc mundum relinquere. De hac re Albertus sæpe cum Werthero rixatus erat necnon Lotta cum marito interdum de eadem collocuta. Albertus, ut eum perquam tædebat talis facinoris, quadam cum offensione animi, quæ alioquin prorsus aliena erat a moribus eius, ostenderat sibi causæ esse, cur valde dubitaret talem rem Werthero serio esse propositam, immo, de hac re ei visum est aliquatenus iocari et Lottæ dixerat se hoc non credere. Itaque Lottæ animus ex una quidem parte tranquillabatur... [continuabitur] ❧

1. E Iohannis Volfgangi de Gæthe opere c.t. Die Leiden des jungen Werther, a. 1774.

MVSA LATINA

LATINE CANVNT

- Iosephus Tusiani et Marcus van Rooij -

CANCER


Pepigit Iosephus Tusiani Neo-Eboracensis Id. Mart. MMII

Cancer, non sidus sed morbus, me tenet ater
ast ego spem teneo venturum ver celebrandi.
Cancrum ergo, sidus ridens ex aethere laeto,
non morbum cerno vitae feritate minantem.
Ver salve ! Nihili certus, reditus sum certus,
ecce, tui. Video, tango quod fers mihi totum
ac tu me tangis multoque calore vides me.
Vivis, vivo iterum ; canis et cano ego peramando
et, si vivo et amo, quod erit nunc est. Remane in me,
cancer sidus et, oh, cancrum morbum aufer et arde :
solius lucis corpus mortale capax est.

DE ELISABETHA PRINCIPE RECENS NATA

Pepigit Marcus van Rooij Belga

Edita tu princeps, regalis pignus amoris,
Laudas Belgarum nomine Calliopen.
Incipiat tecum, summorum nata parentum,
Saeclum pace nitens tempus et auriferum.
Alta sonat cunis permixto vocula risu :
Bruxellae vigilat regia tota domus.
Ecce pater tibi adest, nutrit te mater amata :
Tot curis frueris, parvula, nobilibus !
Haec corde et calamo scripsit cecinitque poeta ;
regibus ut placeant Musa favore iuuet.



In hoc fasciculo !

- Qualis Europa ?* [G. Licoppe] p. 1
De pecuniæ inventione [G. Licoppe] p. 3
De Iusto Lipsio : ignotum apographon [T. Sacré] p. 6
Oidium academicum (II) [A. Ricius] p. 9
De cruce solari [S. Feye] p. 12
Iuvenis Werther quæ passus sit (IV) [N. Gross] p. 14
Musa Latina [I. Tusiani, M. van Rooij] p. 16



LATINE LOQVI...

OFFICINA PÆTICA

13-20 m. Iulii a. 2002 fiet in Polonia, non longe ab Opolia, in pulcherrimo castello Villa Lapidis, L.V.P.A. adiuvante. Thema erit de pœsi Latina recte pangenda. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Annam Elissam Radke, Frankfurter Strasse, 64, D-35037 Marburg (AnnaElissaRadke@aol.com)

FERIÆ LATINÆ

Media in Provincia, in abbazia Sancti Michælis Ferigoletensis, loco amœnissimo et quietissimo, a die 19 ad diem 26 m. Iulii fient feriæ æstivæ inter quas lingua Latina sit sermo participum communis. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Iohannem Claudium Champeau, 121, chemin des Moulins supérieur, F-06510 Gattières, vel Clementem Desessard, Rés. des Collines, C9, 500, rue Léo Brun, F-06210 Mandelieu

CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Conventiculum anno bis millesimo secundo a mensis Iulii die undevicesimo usque ad undetricesimum agabitur. Eo in primis proposito congregabuntur participes ut peritiam aliquam ex tempore et volubilter Latine sermocinandi permultaque Latine exprimendi adipiscantur. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Professorem Terentium Tunberg, inscriptio electronica : clatot@pop.uky.edu

SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

Seminaria Societatis Latinæ sunt prima huius generis, quæ inde ab anno 1973 instituebantur. Moderatores sunt Dr P.C. Eichenseer et D.rix S. Albert. ¶ Duo seminaria anno 2002 instituentur : Morsaci (Morschach) in Helvetia : 21-27 m. Iulii a. 2002. ¶ in Belgica in abbazia Maredsolana : 21-27 m. Augusti a. 2002. Qui plura scire volunt scribant ad Societatem Latinam, Universität, FR 5.2, D-66041 Saarbrücken (s.albert@rz.uni-sb.de)

SEMINARIVM SICILIENSE

institutum a circulo Latino Panormitano et Fundatione Melissa, fiet a die 4 in diem 11 m. Augusti a. 2002 in summo monte Sancti Iuliani, olim Veneris, unde ingens patet prospectus ad mare, litus, campos et colles. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Professore Georgium Di Maria, Dipartimento di studi greci, latini e musicali, Facoltà di Lettere e Filosofia, Viale delle Scienze, I-90128 Palermo (moderator@cirlapa.org)

SEPTIMANA AMCENEBVRGENSIS

cuius thema est « Latine loqui - Romane coquere » habebitur a die 28 m. Iulii ad diem 3 m. Augusti a. 2002. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Thomam Gölzhäuser, Westerwaldstrasse, 13a, D-35630 Ehringshausen (goelzhaeuserpost@hotmail.com)

TERTIA RVSTICATIO CALIFORNIANA

habebitur a die 9 in diem 16 m. Augusti a. 2002 sub auspiciis Septentrionalis Americani Latinitatis Vivæ Instituti. Invitami ut Latinitate omnium sæculorum fruamini inter arva colles camposque lætissimos Californiæ Septentrionalis, in amœnissima villa rustica, haud longe a vinetis præclaræ Vallis Napæ. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Annulam Llewellyn Instituti præsidem : nlm@latin.org

CONVENTVS INTERNATIONALIS ALF

Decimus conventus Academiae Latinitati Fovendæ Matrity habebitur a die 2 ad diem 7 m. Septembris a. 2002. Argumenta in Conventu tractanda erunt duo : ¶ De lingua Latina communicationis inter Europæos instrumento a XV usque ad XXI sæculum. ¶ De inceptis hodiernis institutionis Latinæ renovandæ ac vivæ Latinitatis fovendæ. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Antonium Capellan moderatorem : hilf@tekhna.es